



V I R O

Inter Medicos Hippocraticos doctissimo, inter doctissimos humanissimo, hoc est, vere sincero, probò & politico à virtute, ab eruditione, à genuina animi Nobilitate,

**DN. JOANNI HARTMAN-
NO BEYERO, D.M.**

Inclytæ, IMPERIALIS REIPUBLICÆ Mœno-Franco-
furtensis Physico ordinario, excellentissimo, diversorum Germaniæ
Principum in re medica ministranda & sanitate ruen-
da Consiliario selectissimo, experientissi-
moque, D. D. D.

MICHAEL MAIERUS, Phil. & Med. Doct.
*Comes Palatinus, Eques, Exempt. P. C. C. olim Cas.
Maj. Medicus Aulicus.*



Um litigii, vir excellentissime, quod Dogmaticis Medicis est cum Hermeticis seu Vulcano addictis, subit memoria, ac forte in animo erat hos ternos Authores Medicinæ Hermeticæ absolutissimos, nempe Basilium Valentinum, Germanum Benedictini ordinis Monachum, Nortonum & Cremerum, Anglos, ex sua quosque lingua vernacula latinitati donatos in publicum edere, ut tam exteri quam inquilini haberent eorum oracula sibi communia, non solum TRIPODIS AVREI titulo eos indigere visum est, sed quoque Delphicæ Plœbados responsum Ionibus, cum in quadam re dubia consuleretur, datum occurrit in hunc modum:

Μὴ πρότερον λήξει νεῖκος μερόπων ἢ Ἴωνων,
 Πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν ἠΦαισος βάλε πονίῳ
 Ἐν πόλει πέμψετε, καὶ εἰς δόμον ἀνδρῶς ἵκνται,
 Ὃς δεδάσκει τὰ ὄντα, τὰ δ' ἐσόμενα, πρὸς ἰόντα.

Hoc est,

*Non prius hac Meropum, lis & desistet Ionum,
 Quam Tripodem, quem Vulcanus projecit in aquor
 Aureum, ab urbe viri mittatis in illius aedes,
 Qui novit qua sunt, venturaque quaeque fuerunt.*

Hac enim ratione litem dictam inter Dogmaticos & Hermeticos finiri posse existimavi, si hos Authores, tanquam VULCANI TRIPODA, Medico inter utrosque spectatissimo muneris vice offerrem & consecrarem: cum vero talem & tantum virum, de quo Homericum illud, Ἰντρός γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀλλῶν, merito usurpari posset, per totam Germaniam quaererem & animo indagarem, en nullum alium huic intentioni magis accommodatum, quam te (nihil do auribus, fama omnium attestante unanimi) hic Francofurti ad Mœnum in summa Germaniæ, ne dicam Europæ, quasi specula positum, ad quem velut alterum Hippocratem, multorum Principum & Magnatum vota & desideria inclinant, invenire licuit. Accipe itaque vir omnium ut eruditissime, sic humanissime hunc aureolum Tripodem, sive tractatus ternos à Vulcano Hermetico elaboratos, tanquam donarium debitum sapientissimo & discretissimo, nulli ex vulgaribus appropinquatum, & hinc meum in te affectum, magis quam rei oblate precium aestima: Nullum enim mihi dubium est, quin hoc nomine tam Dogmaticis, quam Hermeticis quibuscunque pergratum opus futurum sit adeo, ut lite, veluti antiquitus illi Meropes & Iones, deposita, concordia amicitiae fœdera initura sint; quod si obtinero laborem qualemcunque impensum fuisse hisce vertendis in communem omnibus Europæis linguam, hoc est, latialem, non pœnitebit: Quomocunque sit, me tui amantem redamare non super fugies, qui in omnes ex æquo, præsertim literatos nunquam non es effusus. Vale. Dabam Francofurti ad Mœnum;

Mense Januarii, anno 1618.